





1636.

1. Beer, Sebastianus : Hypobyposis tutelae et curae.
2. Bohemus, Johannes : De fidejussoribus.
3. Finckelthaus, Sigismundus : De militari testamento.
4. Preibisius, Christophorus : De nuptiis.
5. Patscherus, Samuel : De servitutibus realibus.

1637.

1. Heiland, Erich : De mentis.
2. Kemmer, Valentinus : De conceptu mentis.
3. Lindenerus, David : De mandato.
4. Schacherus, Augustinus : Disputatio juridica contractus emptoriarum.
5. Schacherus, Augustinus : De cessione actionum.

1638.

Lindener, David : De casibus fortuitis in genere.

1639. Lindener, David : De casibus fortuitis in particulari, ratione dominii et possessionis ut et quatenus pro servitute factis restituere necesse habeat?



1640

1. Finckelthaus, Sigismundus : De constituta pecunia
2. Philippus, Johannes : De concubis.
3. Rivinus, Aureus : De contributionibus.
4. Schwendendorffer, Georg Tob. : De jure occidendi
prehensum in adulterio, quatenus patri et
marito competit.

4 b. Schwendendorffer, Georg Tob. : De jure occidendi
prehensum in adulterio filiae et uxoris,
quatenus patri et marito competit. 2 Inept.

~~1640~~ 17 M. 1712

5. Wirth, Polycarpus : De generibus novae

1641.

1. Cronbergk, Michael : De advocatis
2. Welsch, Caspar Michael : Disputatio juridica I : De
executione parata, continens ejusdem definitionem,
tam efficientem et materialem.

1642

1. Cronberg, Michael: De auxiliis aegrotorum
- 1^a
2. Finckelthaus, Sigismundus: De venia aetatis.
2. Heslermann, Tobias: De locatione et conductione
3. Musbachius, Samuel: Disputationum juris de arum
IV. Theoriae - practica ad l. civitas 27 ff. de rebus
cred. l. si cert. petatur
4. Prestorius, Christophorus: De remediis juris crediti
cum adversus debitores contumaces, morosos et
latitantes
5. Schenckendorffer, Georgius Tobias: De juramento
confirmatorio ad l. h. Sacramenta probantur.
C. si adversus venditionem
6. Wirth, Palaeopus: De l. l. Anecdontibus.

1643.

1. Pierling, Caspar: De litis denunciacione

1643

2. N. 44, Michael: De aspectu

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



4529/

Quod DEUS bene vertat.

641
XLIII.

DISPUTATIO JURIDICA

De

MUTUO,

1637, 1

6/

Quam

Consensu & auctoritate Magni-

fici Dn. Ordinarii, Senioris, & reliquorum Dnn. in-
clutæ Juridicæ Facultatis Lipsiensis Assessorum,

PRÆSIDE

Viro Amplissimo, & Consultissimo (2)

Dn. ENOCHO Heilanden / J. U. D.

& Professore Publico, Facultatis Juridicæ Assessore di-
gnissimo, Præceptore & Promotore suo per-
petim honorando,

*Publicè ventilandam proponit
ad diem 25. Maii.*

CHRISTOPHORUS Lange / Naumburgensis.

*In inferiori Majoris Collegii aroaterio,
horis antemeridianis.*

L I P S I Æ,

Typis hared. FRIDERICI LANCKISCH.

Anno M. DC. XXXVII.



DISPUTATIO JURIDICA

MILITUM

Consentiu & auctoritate Magni

Præsidentis & Senioris & reliquorum Doct. in

Juris, & in

Legibus

Magistri & Consilii

FRANCISCI / J. D.

& Professoris Publici, Facultatis Juridicæ Auctoris

Guiljelmo, Praeceptoris & Promotoris suo per-

petenti honorando

Publici

CHRISTOPHORUS ZANGE/Naumburgensis

in

L. I. P. S. I. A.

Typis hared. FRIDERICI FRANCKISCH.

Anno MDCCLXXVII.





7. 7.

THESIS I.



Ut tuum consideratur in genere per *definitionem* quæ duplex: *ὀνομασολογική* nominalis, & *πραγμασολογική* realis. Nominalis per *Etymologiam*, *Homonymiam* & *Synonymiam*.

Th. II.

Etymologiam quod spectat, vult Imperator noster in *pr. 7. quibus mod. re contr. oblig. § 7. CT. Paulus. in l. 2. § 2. ff. de Reb. cred.* inde dictum, quod de meo fiat tuum: Quod non nudè & secundum sonum est accipiendum, ac si ex eo tantum diceretur mutuum, quod de meo fiat tuum, sed cum aliquo effectu reciprocationis, hoc videlicet modo; ut vice versa illud agatur, ut tuum illud, quod accepisti, rursus meum fiat per solutionem. *Varrò lib. 4. de lingv. latin.* à Siculo verbo *μοῖτον* tractum esse, quasi *μὲ τέον* h. e. de meo tuum, autor est, quod displicet *Cuiac. u. obs. 37.* & proinde ipse derivationem Justiniani etiam *scitam* magis, quàm veram appellans à mutatione dictum mutuum existimat, quod mutetur hoc genere pecunia cum pecunia. Nos ab Imperat. nostri *Etymologia* non recedimus, præsertim cum notatio hæc non sit *Grammatica*, sed *Juridica*, non *nominis*, sed *rei* ipsam substantiam contractus exprimens. *Vult. ad princ. 7. quib. mod. re contr. oblig.* Et parum adversatur quod donatio etiam de meo tuum faciat. Si quidem donatarius de suo non facit vicissim meum, ut mutuatarius, *civiliter*, sc. quatenus non potest cogi legis aut iudicis imperio, *δυνάμει ἀναγκαστικῆ* ad remunerandum, cum ad remunerationem dicatur obligatus *ex simplici honestate* & instinctu juris naturæ, quod gratiam jubet reddere benefactoribus, ut ex *Donell. 12. com. 2. docet Bachov. de action. disp. 4. th. 6.* Et nulla ingrati actio sive ordinaria sive extraordinaria legibus est constituta, cum optima pars beneficii pereat, si actio ingrati, sicut certæ pecuniæ aut ex conducto aut locato, detur.

Th. III.

Vocabulum mutui est *equivocum*; sumitur enim vel *adjective*, cum apud alios scriptores, tum in jure nostro, pro vicissitudinario & reciproco, ut cum dicimus mutuam pensationem *l. viro atq; uxore 39. ff. solut. matrim. l. moribus i. ibi: nemutuo amore ff. de donat. inter vir. & uxor.* vel *substantive* & hic vel *late*, ut etiam foenus contineat, *l. praesides 34. § 1. ff. de R.C. l. item si § 9. ff. ad SCT. Macedon. l. tutor 41. § 1. ff. de Usur.* vel *strictè*, ut fautori opponatur *l. principalib. 33. d. l. 34 ff. h. t.* & hic vel pro *objecto* mutui, re nimirum quæ mutuo datur, ut *pr. § 1. & 2. f. quib. mod. re contr. oblig. vel pro contractu ipso § 2. f. de J. N. G. & C. l. mutuum damus 2. § creditum. 3. ff. h. l. junct. l. 1. ff. eod.*

Th. IV.

Synonyma sunt mutuidatio *pr. f. quib. mod. re contr. oblig. creditum l. mutuum 2. § mutuidatio 1. l. singularia 15. ff. h. t. l. tutor 19. infin. ff. ad SCT. Vellejan. l. si quis 3. § 2. vers. si filiusfam. ad SCTm. Macedon. l. procuratoris 5. § sed si dedi 18. ff. de tribut. action. l. impossibilis 7. ff. de V. O. l. creditorum 11. ff. de V. S.* Plura si cupis Synonyma adi Meier. in Colleg. Argentor. lib. 12. tit. 1. th. 5. Germanicè *leihen* / hinc clausula, *leihen dem vor mich* / de qua post *Sickard. in rubr. C. de fidejuss. n. 8. & 10. vid. Wehner. in Pract. observ. verbo leihen in fine.*

Th. V.

Definitio realis ita habet: *Mutuum est contractus quantitatis eâ lege data, ut eadem in genere non in specie reddatur, d. l. 2. pr. ff. h. t. l. cum aurum. 19. § 1. ff. de auro & argento legato. Cujac. in par. hic. Goedd. ad l. pecunia 4. n. 24. 25. de V. S.*

Th. VI.

Genus mutui pono *contractum* cum *Wesenb. ff. h. t. 1.* quia ab Imper. & JCTo inter veros & proprios numeratur contractus in *l. 1. § 1. ff. de O & A. d. pr. f. quib. mod. re contrah. oblig. pr. f. de oblig. quæ ex quasi contr. l. ex hoc jure 5. ff. de Just. & jur. l. certi conditio 9. ff. h. t. 2.* quia vi propria, ex sese & propria natura, ipso jure, propria facultate, sine juris adminiculo & adfistentia parit obligationem, & ex ea, tanquam genetrice, actionem personalem, videlicet *condictionem certi*, quod est signum contractus indubitatum. 3. aut *est nudum pactum*, aut *quasi contractus*, aut *proprius*. Sed non est *nudum pactum*,
quia

643

quia non in solius placiti meris & nudis conventionis terminis, utpote nullum negotium civile sive causam, sed consensum tantum nudum seu tractatum einen blossen vñ schlechten Vorschlag in sese continentibus subsistit; sed præter conventionē negotium h.e. obligandi & negotiandi causam habet, etne solche Handlung/welche Gewerbschafft vñ sich treget / *l. si in area 33. ff. de condiēt. indeb. l. 1. ibi: est enim negotium civile de estimat. action.* & ex huiusmodi pacto nudo actio non competit *l. jurisgentium 7. § sed cum nulla 4. ff. de pact.* Nec est quasi contractus per t. t. *J. de oblig. quæ ex quasi contr. nasc.* nulla enim hic tacita & præsumta conventio est, quæ in quasi contractibus habetur. E. est verus & proprius contractus. Dis. *Corasius in l. frater à fratre 38. ff. de condiēt. indeb. Cuiac. in d. l. 7. ff. de pact.*

Th. VII.

Definitionem sequitur *divisio*, quæ varie à variis traditur. *Zaf. in l. 2. ff. h. t. n. 24. § seqq.* & communiter Dd. mutuum aliud faciunt *naturale*, in quo naturalis intervenit numeratio, & nihil præterea; aliud *civile*, in quo numeratio non intervenit, ut: si quis spe numerationis subsequituræ confessus sit se accepisse pecuniam, aliud *mixtum*, & hoc iterum *duplex: naturale*, cui operatur jus civile, ut cum ab alio meo nomine pecunia numerata est, & *civile*, cui operatur jus naturale, ubi quis pecuniam vel acceptam, vel mox numerandam, stipulanti se redditurum promisit. Sed vereor ut hæc distinctio possit subsistere. 1. quia & ubi naturalis intervenit numeratio est mutuum civile, & civilis nascitur obligatio. 2. quia, si addatur stipulatio, mutuum novationis quadam specie in stipulationem deducitur, & vi stipulationis quasi contegitur, ut proinde numeratio *stipulationis gratia* facta videatur, *l. si ita 6. § 1. cum l. seq. ff. de novation.* & effectu juris inspecto iste contractus pro mutuo habendus non sit. 3. cum mutuum numeratio constituat, ex eo quod actio alteri quaritur, species variari non videtur *Bachov. ad pr. J. quibus mod. re contrah. oblig. § ad Tr. vol. 1. diss. 20. th. 1. l. D.* ubi ait, quod remoto mutuo mixto & utraq; ejus specie tantum supersit mutuum naturale & civile, quod tamen rectius sub nomine veri & præsumti mutui proponi arbitratur; & præsumtum mutuum eodem modo describit, quo Dd. civile. Male, quia confundit mutuum cum literarum obligatione, quam peculiarem cum *Magnif. Dn. D. Sincelsthausen Ordinario meritissimo, in*

A 3

diss.

disp. quoad. publ. Anno 1619. quast. 7. agnosco contractum, tum per §. sequens 2. final. §. de obligat. ubi quatuor obligationum species recensentur, quæ ex contractu oriuntur, aut enim obligatio re contrahitur, aut verbis, aut literis, aut consensu; ut igitur reliquæ obligationes invicem separantur, & separatam habent rationem, ita & obligatio literarum; tum per pr. §. de liter. oblig. ubi & olim per scripturam factam fuisse obligationem Imp. sæpissimè constitutum esse ait, & adhuc scriptura obligationem fieri constituit. Bachovii argumentis quid respondendum sit conflictus docebit.

Th. VIII.

Alii in absolutum & relativum dividunt, & de illo in pr. §. quib. mod. re contr. oblig. de hoc in § 1. eod. idq; promutuum appellant, & indebitum intelligunt. Num rectè dubito, quia & ratione objecti, & ratione cause efficientis mutuum & indebitum differunt. Ratione objecti, cum in indebito non tantum quantitates, sed & corpora, & quæcunq; res dari & repeti possunt. Ratione cause efficientis, causa siquidem indebiti est tacita & præsumta conventio, de utriusq; enim partis consensu cum non constet satis, consensus ex utraque parte intervenire fingitur. Nec Ob. d. § 1. & l. si quis 5. § is quoq; 3. ff. de O & A. Resp. enim dd. texx. cum mica salis accipiendos quoad substantiam sc. obligationis, & effectum exactionis, quod perinde, atquæ mutuum accepit, errore probato, rem, cujus dominus factus est, cogitur restituere.

Th. IX.

*Nos mutuum cum Borcb. de reb. cred. c. 2. n. 2. distingvimus in Verum & quasi. Verum est, quod ab initio traditione rei q; acceptio-
ne statim contrahitur & perficitur, ut quando rem propriam dat ille,
qui mutuo dandi jus habet, ille q; accipit, cui jus accipiendi competit
l. mutuum 2. § in mutui datione 4. ff. b. t. & longa manu, verè, &
naturaliter fieri & dari dicitur in l. pecuniam 79. ff. de solution. Quasi
mutuum, quod ex post facto esse incipit vel ab homine vel à lege.*

Th. X.

*Ab homine, vel transmutatione præcedentis contractus l. certi con-
dictio 9. § fin. & l. seq. l. rogasti 11. in pr. l. singularia 15. ff. b. t. quod ta-
men negare videtur Africanus in l. qui negotia 34. ff. mandat. Gædd. in
tract. de reb. cred. c. 3. n. 85. & seq. Africani responsum non generali-
ter*

ter & absolute accipiendum putat, sed ad propositam facti speciem referendum esse probat. vid. *Don. ad d. l. 15. b. t. Conn. 7. com. 1. n. 9. Coras. 6. misc. 26. Arumæus disp. ad ff. 11. th. 4.* Vel eventu conditionis interposita, ut *l. proinde mutui datio. 8. l. pecuniam 36. ff. b. t. A lege, vel usucapione. l. indebiti 15. §. 1. ff. de condict. indeb.* Vel consumptione bona fide facta rei fungibilis mutuo datæ à non domino, vel à domino quidem, sed jus dandi non habente, *l. nam etsi 13. §. 1. l. non omnis 19. §. 1. ff. b. t. l. si quis 56. §. si nummos ff. de fidejuss. Diss. Gloss. in d. l. 13. verb. conditionem,* quæ negat hoc casu mutuum contrahi, & conditionem de conditione sine causa interpretatur. Sed, quamvis propter defectum consensus numeratio sola dominii translationem, adeoq; mutuum operari non possit, consumptio tamen, quæ modus acquirendi est *arg. d. l. 56.* mutuum introducere videtur, ne videlicet mutuarius alienam pecuniam mutuo accipiendo cum mutuantis detrimento, qui eam vero domino restituere cogitur, locupletior fiat.

Th. XI.

Dixi **BONA FIDE.** Si enim *dolo* consumti sint nummi, mutuum non conciliatur, ac pecunia non secus habetur, ac si extaret apud creditorem, *arg. l. qui dolo 131. l. parem esse 150. ff. de R. J. l. Julianus 9. pr. ff. ad exhibend. Dyn. in c. pro possessore 30. n. 3. de R. J. in 6.* atq; ideo non condici, sed vindicari, *arg. l. sin autem 27. §. sed & si 3. ff. de Rei vindic. vel actione ad exhibendum* peti potest, *l. ad exhibendum 5. C. ad exhibend.*

Th. XII.

Et hæc de *divisione*; sequitur *causa efficiens*, quæ duplex potest constitui, *Remota & Propinqua*: *Remota* est jus gentium plerarumq; ; Rara enim gens est, apud quam contractus mutui eadem, qua apud Romanos, forma propter indigentiam universalem non sit receptus *Just. in §. sed jus quidem J. de J. N. G. & C. & JCT. Paul. in l. si ita 126. §. 2. ff. de V. O.* Scrupulum hic injicere videtur, quod *Aristot. 1. Polit.* nummum inventum esse commercii & permutationis gratia, adeoq; mutuum pecuniam dare possit videri esse præter naturalem usum nummorû; & eum finem, in quem jus gentium eum introduxit. Sed *distingvendum* inter finem nummi *primarium & secundarium*, ob id, quod iste finis & usus nummi est principalis, non efficitur, quod nullus præterea usus secundarius, & minus principalis ex eodem gen-



gentium jure esse possit, quem svasit humana indigentia, ut alter necessitatibus alterius mutuam pecuniam dando succurreret. Proxima est, consensus contrahentium cum rei traditione, cui cum nihil magis obstat, quam error, *l. nihil consensui 116. ff. de R. J.* ideo hoc interveniente contractus mutui nullum habet effectum, *l. si ego pecuniam 18. de reb. cred.*

Th. XIII.

Venimus nunc ad *subjectum* contractus, quod est vel *positivum*, vel *negativum*. Hoc constituunt, qui prohibentur contrahere vel *natura*, vel *lege*: *Natura*, qui consensum adhibere non possunt ob defectum, vel *etatis*, vel *animi*: *Ætatis*, ut infantes *arg. l. quamvis 32. § infans 2. ibi: nullus sensus sit infantis ff. de acquir. vel amitt. poss. § 5. ibi: intellectum habet nullum J. de inutil. stipul.* *Animi*, ut perpetuo furiosi, *l. si à furioso 12. ff. de reb. cred. l. si à furioso 24. ff. de O & A.* licet enim rerum dominium naturale retineant, *l. qui furere 20. ff. de stat. hom.* quia tamen planè consensu omni destituuntur, *l. si cum dotem 22. § si maritus 7. ff. solut. matr. l. in negotiis 5. l. furiosi 40. ff. de R. J.* contrahere non possunt. *Lege* prohibentur, vel ob *moralitatem* morum ut civiliter prodigi *d. l. certi conditio 9. § sed etsi 7. ff. b. l. d. l. 40. de R. J. l. is cui bonis 6. ff. de V. O.* hacq; ratione in plurimis juris locis quoad diminuendum patrimonium furiosis æquiparantur, *l. his qui 12. § Divus Pius 2. ff. de tutor. & cur. dat. § furiosi 7. de curat.* Dixi *civiliter*. Etsi enim *Ethice* loquendo protinus talis existat, ubi habitum prodigalitatæ acquisivit & exercere cœpit, *juridice* tamen ideò haberi non debet, ad eum sc. effectum, ut nec ipse contrahere, nec cum eo contrahi possit, sed omninò opus est sententia magistratus, qui cognitis facultatibus circumstantiis eum prodigum esse declarat. *Bachov. ad Tr. vol. 2. diss. 6. th. 5. l. D & ad § 2. J. de curat. Hillig. ad Don. 12. com. 22. l. F. vel ob consensus imperfectionem*, ut pupilli *l. non omnis 19. § si pupillus 1. ff. b. t. l. si quis 3. § 2. ff. ad SCT. Marodon.* sc. sine tutoris autoritate, quam is, vel ipso negotio durante, vel statim eo expedito, interponere debet *l. obligari 9. § tutor statim 5. ff. de autorit. tutor. junct. l. si quis 25. § jussum ejus 4. ff. de acquir. hered.* Cæterùm an pupillus sine autoritate tutoris naturaliter obligetur, acris inter Dd. est controversia. Distinctiones varias & pene aliquo modo ineptas, quas nonnulli hic afferunt, hic supersedere brevitas

vitas

675

vitas monet, qui eas cupit, poterit adire *Vult. in discept. schol. c. 17. Hunn. ad. vol. 1. Tr. d. 6. Gebausen par. 1. peric. academ. 6 q. 45.* Negativam sententiam propugnare animus est: intelligimus autem obligationem naturalem, non in se consideratam, quatenus ex consensu oritur, sed illam, quæ jure civili est cognita, & effectu aliquo communita, *l. pupillus 59. ff. de O & A. l. quod pupillus 41. ff. de condict. indeb. confer Bachov. lib. unic. discept. miscell. c. 12. pag. 99. & ad Vol. 1. Treutl. d. 6. tb. 5. l. B.* Sunt tamen certi casus, in quibus pupillus utiq; naturaliter obligatur, Ut: 1. si ex re veniat actio, *l. furiosus 46. ff. de O & A.* 2. Si factus sit locupletior, *l. pupillus 5. pr. vers. naturaliter tamen ff. de autorit. tutor.* 3. Si dolum commiserit, *l. depositum 1. § an in pupillum 15. ff. de pos. l. si ex causa 9. § 2 & l. auxilium 37. ff. de minorib. l. heredibus 13. § 1. ff. de dol. mal.* Item minores curatorem habentes, *l. 3. C. de restitu. in integr.* unde clarissime patet ex oppositione puberis habentis & non habentis curatorem, illum, si sine curatoris consensu contraxerit, mero jure tutum esse, hunc restitutione in integrum læsum juvari, non alia de causa quam quod in hoc obligatio, quam omnis restitutio præsupponit, *l. in causa 6. pr. & § 3. ff. de minor. substituterit, in illo ipso jure nulla nec restitutione indiga fuerit, d. l. 16.* nimirum, ut posteriori casu carentia curatoris validitatem obligationis sustentat; ita priori constitutio ejusdem nullitatem meram operatur.

Th. XIV.

Quod tamen, quatenus conditionem suam contractum mutui, aut ullum alium celebrando reddunt deteriore, exaudiendum est. Unde excepto furioso & mente capto *l. 1. § 12 ff. de O & A. l. in negotiis. § ff. de reg. Jur.* contrahendo sibi acquirere, & ita conditionem suam meliorem facere, etiam sine tutoris autoritate, possunt. De pupillo text. est in *pr. §. de autor. tutor. l. contra juris 28. ff. de pact.* De prodigo *d. l. certi condictio 9. ff. h. v. l. is cui bonis 6. ff. de V. Oblig. l. cui bonis 3. ff. de novation. de minore arg. d. pr. §. text. est in l. puberes. 101. ff. de V. oblig.*

Th. XV.

Ex speciali quadam ratione civili prohibentur præsides provinciarum, *l. principalibus 33. ff. h. v. & l. non licet 46. ff. de contr. emptio. ne, vel beneficio mutuo devinctis civium animis ad res novas molendas*

liendas viam sibi parent, vel sub colore mutui aliquid per concussio-
nem, aut vim à subditis extorqueant. Sed an & in *perpetuis* locum ha-
beat Dd. disputant. *Tr. vol. 1. disp. 20. th. 4. l. B.* & ab eo allegati affir-
mant. Nos cum *Bach. & Hunn. ibidem Fachin. 2. cont. 78.* neganti-
bus subscribimus, cum ratio prohibitionis in *perpetuis* magistratibus
non cesset, legesq; indistinctè loquantur.

Th. XVI.

Filiifamil. quoque mutuum contrahere prohibentur propter
SCT. Macedonianum, *l. 1. § 1. ff. ad SCT. Maced.* cujus causa in-
ductiva videtur *triplex*: I. à parte creditorum odium sc. in eos, qui
exemplo Macedonis, foeneratoris profligatissimi, multoties peccan-
di ansam malis moribus præbent, *l. 1. in pr. ad SCT. Maced.* II. à parte
filiifam. mutui accipientis, pernicies & depravatio ejus; Huc quadrat
triturum illud: *Ex malis moribus bona nascuntur leges, Wesenb. in par. ff.*
ad SCT. Maced. n. 3. III. à parte parentis, quam exprimit *Just. in*
§ illud aequè 8. §. quod cum eo qui in alien. pot. Hinc *Coler. de Process.*
execut. p. 4. c. 1. n. 163. hac exceptione executionem impediri tradit.
Sed an locum habeat exceptio SCTi Macedoniani, si filiusfam digni-
tate patriciatus patriâ potestate solutus sit, quæritur? Affir. *Costal. in*
l. 1. § fin. ad SCT. Maced. Tr. d. d. 20. th. 7. in fin. Veriorem puto ne-
gativam, *Gl. in d. l. 1. § Castr. ibidem. n. 12. Bachov. ad Tr. d. l.*

Th. XVII.

Hinc SCTo huic filiumfamilias renunciare non posse rectè col-
ligitur. *Arum. disp. ad ff. 12. th. 6. Bachov. ad Tr. d. 20. th. 7. l. D. &*
hæc sententia communis est, ut testatur Fachin. 2. contr. 6. Zanger.
de except. p. 3. c. 12. circ. fin. Covarr. in c. quævis de pactis in 6. par. 2.
§ 3. n. 6. vers. ego vero. Mozzius de contract. tit. de mutuo. Dis. Zas. 2.
sing. respons. c. 28. Costal. ad l. tametsi ff. ad SCT. Macedon.

Th. XVIII.

Huc etiam referimus illum, qui secum ludenti mutuum dedit
pecuniam, quam condicere nequit, *Förster. lib. 4. disput. 5. th. 3. l. B.*
Salic. in l. ult. C. de relig. § sumt. fun. Reimb. in ult. par. diff. 6. pen
arr. Landrecht 6. lib. 1. Coler. dec. 173. n. 9 ubi ita Dnn. Scabinos Li-
psenses & Jenenses pronunciaffe testatur, & *Berlich. dec. 66.*

Th. XIX.

Positum subjectum sunt omnes ii, qui consentire possunt, &
liberant

liberam suarum rerum habent administrationem. Item *Civitas*, quæ tamen acceptione mutui non aliter obligatur, quam si ab ipsis tribubus plebis, in unum convenientibus, communi consensu, vel à decurionibus civitatis populo præfente, vel consilio populi contractus sit celebratus, vid. *Fach. 2. contr. 75. Bach. ad Tr. vol. 1. disp. 20. tb. 5. l. A.* Item administratores civitatis, si sc. ejus nomine mutuum acceperint, tunc enim, nisi creditor probet pecuniam in utilitatem civitatis esse versam, non civitas, sed illi soli, qui contraxerunt, tenebuntur, *l. 27. ff. de Reb. cred. Tr. dd. tb. 5. l. E ibiq. Hunn.* Quomodo autem & quando à creditore hoc probari debeat, vid. *Hart. Pistor. lib. 1. q. 37. n. 42. & seq. Don. ad d. l. 27. Fach. 2. contr. 76. Menoch. lib. 2. arbitr. jud. qq. cas. 432. n. 33. & seqq.*

Th. XX.

Hactenus subjectum. *Objectum* consistit in *quantitate*, h. e. in rebus, quæ numero, pondere, & mensura constant, sive quæ natura aptitudine & consuetudine ponderando, numerando & mensurando æstimantur, *pr. 7. b. t. l. 1. § re contrahitur 2. ff. de O & A.* quoniam earum datione mutuum contrahere possumus, quia in genere suo functionem recipiunt, per solutionem magis, quam in specie, *l. mutuum 2. § mutuidatio 1. ff. de R. C. i. e.* quod una alterius vice & natura per solutionem in genere suo ita fungatur, ut una tantum præstet, quantum altera, non modo ipsa qualitate, sed etiam usu *Connan. 2. com. 1.* eumq; sequutus *Wesenb. in par. ff. b. l. idq;* ex subjecta ratione patet; ideo nimirum alias mutuo dari non posse, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest, siquidem si quis, pro servo aut equo accepto, alium solvere velit, non satisfaceret creditori, quandoquidem magna individuorum varietas, & in pretio diversitas est. Varias alias *d. l. 2. explicationes* vid. apud *Bellon. 1. supp. jur. 4. Vult. disc. schol. c. 10. Fach. 2. contr. 49.* Quare in pane etiam mutuum consistit. *Vult. ad pr. 7. quib. mod. re contrah. oblig. n. 14. Bach. in not. ad Tr. d. d. 20. tb. 1. l. F. in fin.* Sicuti etiam in uno nummo, quia etiamsi unus nummus neq; sit nummus numerans, is enim est multitudo uno mensurata, neq; in eo consistat numerus numeratus, neq; in eo numerus essentialis, neq; accidentalis, tamen mutuum in eo rectè contrahitur, quia hic idem judicatur de principio numeri, quod de ipso numero, *arg. l. non ideo 5. C. de hered. instir.*

B 2

Th. XXI.

Th. XXI.

Et hæc de objecto sufficient. Seqvuntur *substantialia, naturalia, & accidentalia* mutui.

Th. XXII.

Substantialia sunt, quæ essentiam mutui constituunt; & spectatur substantia mutui post utriusq; partis consensum in re mutuo data, *pr. J. quib. mod. re contr. oblig. l. mutuum 2. § 3. ff. de reb. cred. l. qui pecuniam ff. eod. & quidem fungibili, ut th. 20. dictum.*

Th. XXIII.

Naturalia sunt, & appellantur, ea, quæ mutuum perfectum & absolutum naturaliter consequuntur, eidemq; legis autoritate insunt; & sunt vel *interna, vel externa*. *Naturale* mutui *internum* est, ut transferatur rei datæ dominium in accipientem, *d. pr. l. 1. § 2. ff. de O & A. deinde ut res mutuodata eadem bonitate & qualitate à mutuario restituatur l. cum quid. 3. ff. h. t. nec invito creditori aliud pro alio solvi possit, d. l. 2. § 1. ff. h. t.*

Th. XXIV.

Hinc quæritur, an pecuniam mutuo datam in aliena moneta, quàm qualem accepit, debitor solvere possit? si quid à contrahentibus pactione definitum ac determinatum est, tunc illud inviolabiliter custodiri debet, per *l. contractus 23. ff. de R. J. Coler. de proc. execut. p. 1. c. 10. n. 15. & seqq. Zang. de except. p. 3. c. 1. n. 167. Adde Schultz in syn. Just. quib. mod. re contr. obl. l. A. ubi tres casus distingvit & in tr. de oblat. pec. c. 4. n. 18.* Si vero nihil de pecunia eadem in materia vel forma restituenda ab initio contractus convenerit; tum alia quoque in materia & forma reddi potest, per *l. quæ extrinsecus 65. ff. de V O. l. 1. § fin. ff. de aur. & arg. leg. Add. Hottom. q. 15. Arum. disp. ff. 23. th. 16. dummodo ex ea re creditor damnum passurus non sit, l. debitorem 99. ff. de solut. Zanger. d. p. 3. c. 1. n. 164. Berlich. 2. concl. 35. n. 8. quod cum Andrea Gerhard. in exerc. Just. dec. 12. th. 6. tum deum procedere putamus, si certa summa, putà in Joachimicis, ut *summa* mutuo accepta sit: si vero certi generis nummi, putà 100. Joachimici, ut *Joachimici*, dati fuerint, tunc in eodem genere monetæ eos reddendos. Sed quid dicendum, si moneta fuerit mutata? vid. *Const. Elector. 28. p. 2. ibiq; Moller. Berlich. p. 2. concl. 35. Henon. disp. 13. th. 5. Arum. disp. 12. th. 11. Schultz. dd. ll. Coras. 3. miscell. 13. n. 5. Köpp. dec. 2. Adde**

647

Adde & Edictum Electorale hac de re promulgatum Anno 1623. *Ex-
ternum* est; ut casum rei fortuitum præstet debitor. *l. 9. C. de pig. act.*
Th. XXV.

Accidentalibus sunt, quæ mutuo pro beneplacito & voluntate
agentium seu contrahentium variis ex causis adjiciuntur; ut si mu-
tuum *pure* constituatur, aut *non pure*. *Non pure*, rursus *vel in diem*,
aut *sub conditione*; quod in diem debetur creditori invito, nisi ejus
interfit, ante diem rectè solvitur, *l. stipulatio 38. § inter 16. l. continuus*
§ 2. ff. de V. O. l. quod quis 50. ff. de O & A. l. quod certa 70. ff. de so-
lut. Riem. dec. 11. q. 9. Bachov. ad Tr. disp. 29. vol. 2. rh. 3. l. 7. & ita
respondisse Scabios Lipsenses 10. Martii Ann. 1623. tradit Berlich.
dec. 153. n. 4. Schultz. in d. tr. de oblat. c. 4. n. 23.

Th. XXVI.

Pacta quoque mutuo, quæ nec à ll. reprobata, nec substantiali-
bus mutui contraria *arg. l. rogasti me § 1. ff. b. t. l. omnia 7. ff. b. t.* ac-
cedunt. Hinc mutuum licet sit gratuitum, stipulatione tamen effici
potest, ut mutuarius licitas præstet usuras *l. quamvis 3. ibi: citra*
vinculum stipulationis C. de usur. l. partum 10. § seq. l. quod in 31. ff.
de usur. vid. Riem. dec. 9. q. 6.

Th. XXVII.

Finis mutui est *duplex*: *Universalis*, & *Particularis*: Ille est, ut
indigentia humana succurratur *l. 4. ff. b. t. Wesenb. in par. hic n. 15.*
hinc dicitur humanis necessitatibus & usu exigente contractus fuisse
inventos, *§ 2. f. de J. N. G. & C. Hic*, dominio rei mutuodatae in mu-
tuarium translato eodem genere, quantitate & qualitate restitua-
tur.

Th. XXVIII.

Effectus est, vel *primus*, vel *à primo ortus*. *Primus* est *obligatio*.
Ortus est *actio personalis*, quæ *condictio certi* appellatur *l. certi 9. in*
pr. ff. b. t. si certum petatur rubr. C. si cert. pet. creditæ pecuniæ actio
l. in eum 19. § fin. ff. de instit. action. actio Calendarii l. tutores 39. §
negligentia 14. ff. de admin. tutor. De conditione certi controvertunt
Ultramontani & Citramontani, num sit generalis vel specialis? Nos
cum *Bach. in § 1. f. quib. mod. re contr. oblig. & Ultramontanis faci-*
mus, quod videlicet *condictio certi* ex mutuo sit ejusdem naturæ in
genere, cujus sunt aliæ *conditiones certi*, cum nec ulla possit dari

B 3

essen.

essentialis & specifica differentia, qua ut genus disparatum à generali conditione sive conditione certi distingvatur.

Th. XXIX.

Notandum tamen conditionem generalem, quat. ex certo aliquo contractu competit, & oriri dicitur, specialem appellari posse, non quidem *ratione essentia*; sed *ratione objecti*, & ita certi conditionem *in abstracto* nunquam, *in concreto* autem suo respectu specialem esse.


Th. XXX.

Dissolvitur hæc obligatio mutui, & per consequens actio, *solutione* ejus, quod debetur, ad quam etiam *delegationem*, si sc. concurrant debita requisita, cum *Magnif. Dn. Ordinario D. Finckelthausen in observ. pract. 91.* refero, *novatione, acceptilatione, & quidem mediate*, per *Aquilianam* nimirum stipulationem, *tot. tit. 7. quib. mod. toll. oblig. Oblatione & depositione* ejus quod debetur, congruo loco & tempore facta, de qua vid. *Schultz. in d. tr. de oblat.* An autem particularis solutio invito creditori obtrudi possit quæstionis est? *Hunn. l. 3. p. 1. V. R. q. 10.* affirmat. Negativa nobis placet per *l. tutor 41. § 1. ff. de Usur. Riem. dec. 11. q. 8. Ungepauer exerc. Just. 12. q. 9.*

Christo Liberatori Nostro Sit Laus.



Ad



Ad Praestantissimum

Dn. Respondentem, amicum
meum singularem de *Mutuo*
disputantem.

Qui subit *Astrae* caelum ductrice *Themiste*
Ut juris melius consolidetur opus.

Illum gloria multa manet, nomenq; manebit,
Ingenii partus edere qui potis est.

Hoc Tu perpendis **LANGI** dum pulpita scandis
Lipsiaca. Et doctis docta duella moves.

Mutua proponis, data *Mutua* discutis arte,
Praclarum specimen non sine laude Tui.

Eja age lato animo leges sic volve revolve,
Ut fias patrii lumen honorq; soli.

L. m. q; adjecit

M. Christianus Lauterbach.

Lustrabas juvenis Parnassi vivida tempe,
Castalii sitiens tollere fontis aquas;
Langius ut possis dici cum nomine verus,
Nec Tibi, quod novi, Svada negabat opem.

Nunc quoq; fatidicas accurras **LANGIUS** undas
Cephissi, haut metuens quin sit amica Themis.

Curre precor, felix: si dudum **LANGIUS** audis,

Quid **NI** Cephissó **LAGUS** abibis eris?

LANGIUS.

avaze.

NI LAGUS.

gratulab. app.

M. Johann. Herkog
Naumburg.

Jam



Jam Bellona furens totum sibi vendicat orbem,
Et rigidâ arma manu sangvinolenta rotat.
Divitia jam, Miles ait, Virtusq; libido est,
Et luxus laudem convenienter habet.
Sat benè, si justè; non omnibus omnia pulchra:
Sed major Juris gloria ab Arte venit.
Hanc, Langi, curas, testis satis esse videtur
Ingenii hoc specimen, mutua jura canens.
Gratulor, ac precor, ut pergas instare, reportes
Mutua cum plausu premia Pieridum.

Hæc

Præstantissimo ac Literatissimo Dn. Respon-
denti amoris & sinceri affectus ergò
apponere voluit


Andreas Becker LL. Stud.
& Notar. Publ.


F I N I S

X2615937

V. 17







e veritat.

⁶⁴¹
XLIII.

JURIDICA

~~1635~~, 1

UO,

6/

ritate Magni-

c reliqvorum Dnn. in-

DE

Consultissimo (2)

ilanden / J. U. D.

is Juridicæ Assessore di-

romotore suo per-

ando,
um proponit
Maii.

ange/Naumburgensis.

llegii acroaterio,
lianis.

I Æ,

CI LANCKISCH.

XXXVII.

